



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Parentum consilia & consensum, in matrimonijs ineundis, non
spernendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

postquam emisit? Quid, si displiceant, facietis? Pari stultitia siue iuvenes, siue puellæ coniugibus se tradunt ignaræ, an sint eos postea amaturi. Et villarum aut boum emptio, potest retractari, si fraus, si vitium latens deprehendatur; qui autem vxorem duxit, non potest retractare contractum. Tanto igitur maior est temeritas, & pœna sua dignior, si quis sese in matrimonium præcipitat, antea non diligenter expensum. Itaque videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed sapientes. Nolite fieri, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Hi namq; , qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum a se, & à sua mente excludant, & sua libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem demonium super eos: exagitat eos; seminat discordias, lites, & mille mala, quæ vtique matrimonium reddunt onerosum & exosum. Itaque his talibus, qui brutorum more conueniunt, & sine ratione vxores non eligunt, sed impetu quodam voluptatis ducunt, meritò postea displicet, quod immeritò appetiuerunt. Vera prudentia eorum, quæ agenda, & non agenda sunt, cognitio est; quam si quis rectè sectatus fuerit, nunquam ab officio virtutisq; , abscedet; nunquam vitiorum pestem incurret. Igitur qui prudentia sermones cognoscit, vt bonus trapezita, quod bonum fuerit, retinebit, & ab omni specie mala abstinebit, ait S. Basilius. Et alibi. In omni, inquit, quæ suscipitur, actione, anteedere prudentia debet. Nam, ea remota, nihil cuiusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio verò & prudentia, vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est, quantus, ex earum vsu, cum in dantes, tum in accipientes fructus redundet. Itaque & qui vxorem prudenter elegit, libenter seruat, nec optat eius amissionem. Siquidem, teste D. Bernardo, discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem. Nihil ergo mirandum, si coniugium non optat perpetuum esse, qui in illud se, sine discretionem, immerfit.

Et quoniam in nostra causa cæci iudices sumus, affectu sententiam trahente, etiam illi, qui sibi alioqui sapere videntur, in re tanti ponderis, alios consulere consueuerunt; quanto

Y y 2 id

Eph 5.15.

Psal. 31. 9.

Tob. 6.17.

S. Basl. hom. 12.

Idem in Con- tit. monast. c. 15.

S. Bern. ferm. 49. in Cantic.

V.

id æquius est, eos facere, quos aut ætas adhuc nondum docuit sapere, aut iuuenilis impetus, & præceps cupiditas in sua delideria trahit? *Qui sapiens est, audit consilia.* Et hoc ipsum consilium diuina sapientia, dum ait: *Fili, sine consilio nihil facias; ne dum, ut uxorem ducas, & post factum non pœnitebis.* Si autem quicumquam est in hac re consulendus, consulendi sunt parentes, & quia obseruantia hoc suadet, & quia illi annis & experientia sunt prudentiores; & quia utrique liberis suis, quam optime volunt: & quia exempla sanctorum ita docent. Nam & Isaac uxorem accepit, quam pater ei dedit, & Rebecca consilium patris sui in ea re secuta est: & filio suo Iacob in mandatis dedit, ut non acciperet uxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam ex filiabus Laban. Quin, in veteri lege, præceptum de matrimonio filiorum parentibus potius datur, quam filiis, ne iungantur Chananæis. Hinc S. Ambrosius laudat illud Euripidis virginem ita loquentem facientis: *Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.* Et alibi scribit, Syfinnium iuste indignatum, quod, se inscio, filius uxorem ducere voluisset. Delinquunt igitur liberi, quando sine iusta & rationabili causa, parentibus inscijs aut inuitis, matrimonia ineunt. Horum consilia & consensum temerè qui neglexerunt, sæpe puniti sunt, nimisque eos serò pœnituit, postquam iam inter medios vortices & fluctus frustra conati sunt euadere. Memorat Amphilocheus Episcopus, Proterio senatorij ordinis viro, filiam fuisse formæ non contemnendæ. Eam domesticus seruus deperibat, homo nequam, cui ne quidquam deesset improbitatis, artes magicæ coronidem, ad cetera scelera addiderunt. His usus puellam decepit, eamque tam insano amore demeritauit, ut illa mentis incendium non posset premere, sed, palam erumpentibus flammis, seruum in matrimonium sibi dari postularet. Pater, qui & conditionem seruilem horrebat in proco, & filiam iam dudum Deo consecrarat, ægerrimè petitionem illius intellexit, multisque ei rationibus obstitabat. Sed ardebat puella, rationesque rationibus opponebat; cumque parens minis, & precibus eam conaretur à vecordi consilio abducere, *Aut comple, inquebat filia, desiderium, aut breui me extingam*

Prou. 12. 15.

Eccles. 31. 24.

Gen. 24. 67.

Gen. 28. 1.

Exod. 34. 16.

Deut. 7. 3.

S. Ambr. l. 1. de Abraham cap. vi.

S. Ambr. in ep ad Syfinnium.

Amphilocheus in vita S. Basilij apud Surian.

tingam videbis; additque, *Ni quantocyus consentiret, in die iudicij, rationem pro occisa filia redditurum.* Talibus verbis pater in-
 mœrorem datus, tristitiaque pœnè absorptus, amicissimos quos-
 que interrogauit, quid sibi esset faciendum? Consultauerunt illi
 omnes, satius esse, vt amore insanientem in vita conseruaret,
 quàm vt, negato coniuge, causa esset mortis violentæ. Igitur fi-
 lia ad se vocatæ mœsta voce dixit: *Vade, misera, multum luge-
 bis aliquando, cum facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris.* Ex-
 ultauit filia hoc consensu, quantumuis extorto. Fiunt nuptiæ.
 Gaudet sponsa, ridet sponsus, triumphat diabolus. Sed breue
 fuit gaudium diuina benedictione destitutum. Non diu enim,
 post coniugium inicum, obseruatum est, seruum non ingredi
 Ecclesiam, neque esse Christianum. Quod quàm primùm rela-
 tum est nouæ nuptiæ, doloris vehementia humi se prostravit,
 suisque faciem vnguibus discerpit, pectusque pugnis runders,
 tota in planctus effusa sic est vociferata: *Nemo parentibus non
 obediens saluus unquam fuit. Quis patri meo annunciabit ignomi-
 niam meam? Heu me miseram, in quantam me perditionis voragi-
 nem demersi? Cur in lucem edita sum, cur non continuo raptasum?*

Quis huic tam amaro coniugio causa fuit? Deus? an ho-
 mo? an diabolus? Nimirum diaboli instinctu, hominis con-
 sensu, Dei permisso talia contingunt. A Deo pœna est, ab ho-
 mine culpa. Vtraque nos docet, ne inconsultò quidquam aga-
 mus. *Ne inuitaris prudentiæ tuæ,* ait Salomon. Et S. Basilus:
*Profectò diuina quedam res est consilium, inquit, est namq, animi
 coniunctio, charitatis fructus, mentis demissa demonstratio. Super-
 bia enim magna habetur, existimare nullius se egere auxilio, ac sibi
 ipsi penitus acquiescere, quasi vel solus sapiat, vel quàm optima in-
 medium consulere valeat. Quare nequaquam cunctemur ijs nos
 submittere, qui nobis ea quæ decora sunt, consulunt; nec unquam
 turpe esse ducamus, confidere, alios, quoad vitam instituendam, no-
 bis longe esse prudentiores. Magnam profectò affert hominibus uti-
 litatem consilium, eò, quòd nemo sibi sufficiat ad electionem rerum uti-
 lium honestarumque, sed pluribus sanè socijs, ijsq, solertibus opus habet.*
 Quare etiam, qui volunt matrimonijs se tradere, ne eos pacti
 pœniteat, non inuitantur prudentiæ suæ; sed priùs generatim
 delibe-

VI

Prou. 3: 5.
 S. Basil. orat.
 21. de felici-
 tate.